ΓΑΜΗΛΙΑ

IN HONOREM

VIRI REVERENDI, HVMANISSIMI, VIRTVtum juxta ac doctrinarum titulis conspicui.

Dn. M. VRBANI KLEINWECHTERI, Pastoris Ecclesiæ Schetzlerianæ fidelissimi, SPONSI:

Sacrum Nuptiale celebrantis

Cum

Pudicissima lectissimaq; Virgine

ANNA:

Reverendi, doctissimiq; VIRI, pietate virtutumq; ornamentis præstantissimi,

Dn: VALENTINI MATERNI, Pastoris Ecclesiæ Schlaupiziana vigilantissimi, filia dilectissima SPONSA:

Ab amicis boni ominis ergò consecrata

XV. Cal. xbris.

ANNI cIↃ IↃ XCVIII.

Typis exscripsit Andreas Eichorn.

462822 I
Sz-2002/
898/28
[400,-]
Sl 1755
12.12.2002

ΣΥΣΤΑΤΙΚΟΝ

REVERENDO DN. M. VRBANO KLEINVVECHTERO PASTORI IN SCHETZLER, NOVO SPONSO.

Fortè pusillanimem vel nomine dixeris ante
Quod sibi diffidit jungere velle parem;
Et quod virgineis vix se committere telis,
Præ nimio timidus nempe pudore tulit.
Nunc rectè videas VRBANVM corde modestum
Post parvam cito sic evigilare moram.
Esse licet quosdam magnos, atq; ore procaces,
Parvus at ante alios fert quoq; sæpe decus:
Et satis est, ut nil pereat, vigilare pudicum,
Plus favet VRBANO nam ferè quisq; bonus.
Hinc tibi Sponsa tuus meritò sit dignus amore,
Vt vigilem nôris non sinet ille queri.
Surgere de parvis maiora perutile credas,
Sed sublime nimis dejcit omne DEVS:
Scit melius vitæ sic se componere parvus,
Et durabilior sit tibi mollis amor.
Vos igitur vestris animis concrescite Sponsi,
Vivat amans, annis pluribus, ANNA tôri.

CONIVGII *fida amicitia.*

Ecquis in alterius damnis se præbet amicum
Vt bona commutet cum patiente, malum?

Et tamen Admeti conjunx tam fida maritum
Morte sua mortis lege carere cupit.
Halcyonum patris mortem doluêre sorores,
Vt sibi pro vita mors bona visa foret.
Pyramus & Thisbe flagrant constanter amore,
Solvere ne possent ulla pericla duos.
Magna pati potuêre viri dulcedine Sponsæ
Scilicet est fortis mors quasi firmus amor.
Athniel hoc motus conscendit mœnia Victor,
Vt ferret Sponsæ serta parata suæ.
Filia sic Regis fuerat promissa Davidi,
Si daret ex præda quæ prius hostis erant.
Ipse suam caram parat ense GEORGIVS Heros
Acer ubi ignivomæ destruit ora feræ.
Noster in his unus præstat super omnia CHRISTVS
Impendens Sponsæ nomine cuncta, suæ.
Sic minor in nullis sexus muliebris habetur,
Qui certat studijs, laude, & amore viris,
Assidua assistit, comes est, tota ardet ocellis
Vt bona cum proprio compare certa ferat.
Quis nequeat tantæ non pendere lucra salutis,
Quicquid amicitiæ vis habet, uxor habet.
Pendet ab hoc hominum consensus, & usus & ordo
Legibus his unum sic licet esse duos.
Ergo sibi fidum jungat desertus amicum,
Dos etenim præstans uxor & ampla domi.

DE CONIVGIO

SYMBOLVM S. MARTINI.

PRæsul ut incessit MARTINVS, prata propinquo
Flumine discretis transit opaca locis,
Herbida pars pulcris ibi floribus una resplendet,
Hæc, ait, ecce decus virginitatis habet:

Progredi-

Progreditur plano campo, pars falce resecta,
Conjugium, subdit, talis imago refert:
Sed quia comparet pars horrida, versaq; glebas
Ore vago turpes quam peperêre sues,
Hanc genus impurum, fædaq; libidine mersum
Dicit, in aperto pingere posse typo.
Nil melius potuit triplices distinguere classes,
Et manet in medio conjugialis amor.
Ni capiant herbas animalia, perditur usus
Flos perit & mellis, gratia frontis abit.
Quod miserè in versum cæno mixtumq; profundo
Hoc satius nunquam prosiluisse fuit.
Sed benè succrescit plantis qvod semina præbet
Prævalet inde pium non malè conjugium.

M. Iohannes Pelargus Pastor Ecclesiæ Svidnicensis.

ALIVD.

Svnt tria coniugij quæ prisci commoda jactant,
Sancta Fides, proles vera, sacerq; typus.
Hæc tria Sponse tibi verbo quæ comprecor vno,
Sancta Trias firmet, qvæ tribus vna præst.
Te Sponsamq; Fide nectat, prole augeat ambos,
Ambo Connubij Symbolon este sacri.
Sic eritis latj. MATERNVM cura Paternum
Reddet: Sic matres sic eritisq; Patres.

Christoph. Pelargus D.

ALIVD.

EST similis somno genialis amorq; favorq;
Conjugij speciem vita quietis habet.

Nam ratione pari, quâ tradita Sponsa parenti
Prototypo; Sponsis hâc quoq; Sponsa novis.
En pater, Edenio qui sedem fixerat horto,
Antè sopore cadit quàm nova Nympha venit.
Post ubi de somno sua lumina solveret alto,
Præ vultuq; suam stare videret EVAM:
Ibat in amplexus primævæ Matris amicos,
Nil, placidæ præter signa quietis erat.
Est idem cursus rerum, solitosq; meatus,
Motor Olympiacus quas operatur, habent.
Occidat omnis amans opus est in amore jugali;
Atq; animum in stratum ponat amicitiæ.
Dormiat, & Iovæ committat prælia mentis;
Ipse puellarum de grege quanq; tenet.
Eligit egregiam, pulso velamine somni
Ostendit; cupido tradit & ipse proco.
Evigilâ, dicit, quam nec suspiria fingunt,
Nec labor aut studium, curaq; nulla parit:
Hanc ego delegi multi se millibus vnam,
Nata meo jussu est hæc tibi costa: cape.
Namq, haud vlla viri ratio valet atq; voluntas,
Omnia in arbitrio stantq; caduntq, meo.
Hinc vbi ad ostensam procedit Sponsus Amatam,
Protinus æternas nectit amore moras.
Fundit & hosce sonos: mea Lux, mea sola voluptas
Heu mea costa, caro carneq, nata meâ!
Tu mea longa quies, longaq; quiete priorem
Te ducam, inq; tuo me fac amore mori.
Somnus amoris adest, Sponsis, quo gignitur vxor,
Ipsa quies genitâ coniuge certa venit.
Inclyte Sponse tuos oculos presisse soporem
Quis dubitet, conjux quô tibi parta fuit?
Est quæsita tui lateris, quæ clauderet Arcam,
Hactenus (heu nimium) quæ reserata stetit!

Est

Est vigili factum curâ, nec mentis ocellos
Oppressit somnus, pectora nulla quies:
Donec pjniferi radices Montis adires
Zaboti, somnum, quæ peperêre tuum.
Hic ubi Schlaupicium comtas virtute sorores
Educat: heî superat dulcia mella sopor!
Quo tibi Nympha DEI clementis Numine præstò
Adstitit, adspectu quæ Venus ipsa nitet.
Certum est vos inter justam cæpisse quietem;
Perpetuos duret quæ sine fine dies.
Sit jam vester amor constringens pectora somno
Mollior, at melior vita quiete precor.

Iehova Humiles Spiritu Salvabit.

Iohannes Henricus S. Diaconus
Freiburgensis F.

ALIVD.

LVrida cûi vegetum vitiarunt toxica corpus,
Antidotum doctâ comparat arte sibi.
Aspera quos vexant hybernæ tempora brumæ,
Mulciber in tales officiosus adest.
Cuî puer aurato læsit præcordia telo
Æger Apollineæ prolis habebat opem.
Philtra Venus funesta viris, funesta puellis
Præbet, & auxilio facta nefanda juuat.
Accidit hoc multis: sed adest Epidaurius herbis,
Qui subitò ægrotis pharmaca viua facit.
Et meritó vanumq; foret dare corpora letho,
Quæ medicæ possint ritè fouere manus.
Scilicet incassum medici non cura laborat,
Dum modo causa novi vulneris ipsa patet.
Suauiter atq; citò curabitur æger, utrumq;
Si res, & sæuum vulnus opemq; refert.
Sicut enim Telephum, quæ læserat hasta resanat,
Sic mala quæ fecit tollere causa potest.
Causa nocens amor est, amor est qui sauciat illos
Qui poterunt subitò ferre petita valent.

Hic

Hic miranda gerit morbus Symptomata jactu.
Quem puer in toto qui volat orbe facit.
Immoror: vlterius dicendum est, vulnere lædi
Præsentem video μικροφύλακτα meum.
Quærit opem, medicamq́; manum, quam blanda ministrat
Millibus è multis lecta puella sibi.
Apta venit medicina malo, matura labori.
Addit & optatam sedula rebus opem.
Vota piam voluêre, piam tibi Numina jungi
Sit vitæ coniunx blanda, sit illa tori.
Vtere Sponse tua medicinâ, susci pe curam,
Perpetuoq́; datis vtere Sponse bonis.
Felices seros deducite tempus in annos,
Sit sine Lite torus, prole sit aucta domus.

Valentinus Eissfart honoris moris & moris ergò F.

A L I V D.

O Deus primas thalami jugalis
Qui dabas leges homini creato
Hunc videns omni minus esse solum
Parte beatum.
Mente deuota thalami precamur
Hos foue semper socios, & horum
Casta sincero stabiliq; amore
Pectora junge.
Facut VR B A N O Vigili marito
A N N A M A T E R N O patre nata docto
Matris affectus nova Sponsa spontè
Comprobet omnes.
Fac & VRBANVS sociam vicissim
Dotibus multis animi beatam,
Corporis nec non specie venustam
Diligat A N N A M.

Melchior Freudenberg. Hirschbergensis collega Scholæ patriæ F.

Biblioteka Śląska